

## EPILOGUS

IN TRACTATUS DE VERA RELIGIONE ET DE  
ECCLESIA CHRISTI.

## DE FIDE SIMPLICIUM

seu de simpliciori modo quo multi ad fidem  
Christiano-Catholicam pervenient.

Status questionis. — Duplex factum prærequisitum, unum *internum*, *externum* alterum : quibus positis, fit facilè et rationabiliter transitus *immediatus* 1<sup>o</sup> ex auctoritate humana Ecclesia catholicæ ad auctoritatem ejusdem *divinam*; — 2<sup>o</sup> è doctrinâ et efficacî sanctæ ejusdem Ecclesia ad presentiam Dei in eâ. — Observatio circa concursum *dispositionis animæ* ad veritatem et *propositionis veritatis* ad animam.

Ecce, per totum hunc annum, indicavimus præcipua argumentorum capita ad demonstrationem scientificam fidei tum christianæ tum catholicæ. Nunc ex iis colligendum est quid sit maximè populare et omnibus obvium, ut inde explicari queat *fides*, ut aiunt, *Simplicium*, ipsorumque *Infantium*. Licet enim quidam theologi admittere videantur quòd motiva credibilitatis rationabilia suppleri interdùm possint per internam impulsionem gratiæ, certum est tamen requiri saltem ordinariè aliqua credibilitatis motiva, quorum evolutioni tantùm inservit gratia, modo infrà exponendo. Docet enim SS. Concilium Vaticanum « fidei assensum nequaquam esse motum animi cæcum » (*Constit. de fide*, cap. III) (1).

(1) Cæterùm ii theologi quorum loquendi modum rejicimus, re forsitan aliis non differunt : quando enim fidem asserunt nasci posse *absque moti-*

*Quæritur igitur quomodo, seclusâ omni exquisitione scientificâ, motiva credibilitatis adeò simplicia haberi possint ut homo rudis etiamque infans, modò in societate*

*vis, id est,... absque motivis iis quæ ex professo apud doctores afferri solent, uti sunt præsertim probationes historicæ, — non autem,... absque ulla motivis, nec præsertim absque iis motivis *intrinsecis* de quibus rectè Pascal : « Le cœur a ses raisons, que la raison (*in sensu diviso*) ne connaît point... (*Pensées, soumission et usage de la raison*, vel *Moyens d'arriver à la vérité*); — Cfr dicta in *Tr. de verd Relig.*, Præf., p. xxvii, not.; itemque p. 70). Hæc sunt præsertim motiva quorum sensum in animâ quantumvis simplici acuere gratia novit; atque, etsi de his rationem reddere difficultas sit, ipsa tamen non modò certitudinem secum afferunt sed et lumen : unde meritò Lacordaire : « Je l'atteste et nous tous, » catholiques, nous l'attestons, nous sommes frappés par la doctrine catholique, non pas comme ténèbres, mais comme lumière ; non pas comme on le serait en entrant sous une voûte sombre, mais bien comme en entrant sous une voûte illuminée, radieuse, etc... » (17<sup>e</sup> Confér. de N.-D). Id, putamus, facile intelliget quisquis meditatus fuerit observata in *Tr. de verd Relig.*, Append. I : *De evidentiâ morali in veritatis religiosis*.*

Alia tamen suboritur inter theologos quæstio, in quâ magis reapse dissentire videntur, quænam, videlicet, sit in se vis motivorum quibus fides Simplicium fundatur. Plurimi enim vim illam esse dicunt tantum *relativam*; — quod et nos ultrò dicimus eo sensu quod eorum vis non ab omnibus æqualiter percipi potest, sed plus minusve, prout anima per gratiam ad ea intelligenda fuerit disposita. — Minimè autem admittendum putamus illum sensum qui multorum theologorum videtur esse (De Lugo : *De fide*; Disp. V, n. 25, 36, 37; Kilber, ap. Migne, *Theol.*, t. VI, p. 545 et ss.; D. Vincent : *Compendium theol.* t. II, *De fide*, n. 107; — etc.), scilicet motiva Simplicium non habere valorem in se et philosophicè sufficientem. Credere enim absque motivo sufficienti idem est denique ac credere *motu animi cæco*; et assensus ex insufficienti motivo præstitus, jam, completâ instructione, posset *prudenter repudiari* : quod certè de fide catholicâ minimè admitti potest (et V. quamdam Propositionem, inter damnatas ab Innoc. XI, 20<sup>am</sup>, ap. Vivam; Migne *Theol.* t. V, p. 1340; è quâ certè non feliciter sese eximunt autores suprà citati. Cfr et Conc. Vatic., *Constit. de fide*, cap. III, in fine et Can. § 3, VI). — Unde rectius admittendum censemus cum Suaresio (*De fide*, Disp. IV, S. v, n. 8, 9) et non paucis aliis, motiva fidei etiam apud Simplices quos gratia adjuvat, importare credibilitatem in se sufficientem ut possit legitimè compleri per

catholicā positus, iis jam possit rationabiliter in Fide catholicā constitui, — et quidem à primā rationis suae evolutione, et sine ullā in dubio morā (1).

Ad hujus porro quaestioneis solutionem, necesse est duplex observare factum, quod è providentiā Dei passim occurrit, unum scilicet internum, alterum autem externum (2).

Factum *internum* in quibusdam consistit animæ humanæ dispositionibus : — nec enim sine dispositionibus illam, de quâ nunc, fidei certitudinem, apud Simplices præsertim, produci posse contendimus : nec mirum, uti jam observavimus (et cfr Suarez : *De fide*, Disp. IV, S. vi, n. 4). — Illæ autem dispositiones per quas anima humana est quodammodo *naturaliter christiana* (ut apprimè ait Tertullianus : *Apologet.*, XVII; et cfr *Lib. de testimonio animæ*) imò et addiderim, *naturaliter catholica*, in infante præsertim semper reperiuntur, atque, etsi per se sint insufficientes, augeri queunt quantum necesse est, per gratiam : gratia autem illa cuilibet pusillo vel magno semper pro lumine quod mentis ejus oculis affulget, cordi simul

---

actum fiduciæ in Deum (V. *Tr. de verâ Rel.*, n. 41, cum *Append. IX*), et certitudinem inde parere rationabilem, etiamsi dē eā rationem reddere nequeant.

(1) Hæc est famosa difficultas quam olim Claudius retorsit adversus Bossuet. Hanc Bossuet declinat magis quam solvit. Fénelon autem solutionem apprimè indicat, (*Lettre V<sup>e</sup> sur la Relig.*); itemque Nicole : *Les prétendus Réformés...* 1<sup>e</sup> p., ch. xvii. — Hanc rursùs tractavit Lefranc de Pompignan (*Controverse pacif. sur la foi des enfants et des ignorants*; ap. Migne *Theol.* t. VI; V. præsertim p. 1084 et 1138); ac demum Emin. Dechamps illam convenienter evolvit, et præcipuo, ut par est, posuit loco (*Entretiens sur la démonstr. cath.*; 1<sup>er</sup> et dernier Entret.). Quem in totâ hâc quæstione ducem habemus principalem.

(2) « Il n'y a que deux faits à vérifier, un en vous et un hors de vous ; » — ces deux faits se recherchent pour s'embrasser, et, de tous les deux, » le témoin c'est vous-même. » (Card. Dechamps, op. cit., Epigraphé, et 1<sup>er</sup> Entret., p. 47.)

offertur, — et quidem, si baptizatus sit, è jure proprio in gratiâ sacramentali fundato; si verò non baptizatus, è misericordi prorsùs consilio Dei, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (I Tim., II, 4).

Huic autem interno facto ordinatur etiam, per Providentiam Dei, factum *externum*, quod præstò est omni homini in medio à Providentiâ intento, i. e., in societate catholicâ, mundum intranti : consistit quippe in præsentia ipsius Ecclesiæ catholicæ cum suâ præeminentiâ tum physicâ, ut ita dicam, tum morali, nempe cum suâ catholicitate et sanctitate (cfr suprà, p., 322 et 324).

Porrò duo illa facta sibi mutuò aptantur, ad fidem producendam, et quidem dupli in puncto, relatè scilicet ad *Auctoritatem* et relatè ad *Doctrinam*. Etenim

1<sup>o</sup> ex unâ parte, quisquis simplex et rectus plū minusve implicitè sentit, et quidem, quò magis simplex est et rectus, eò magis sentit sibi opus esse aliquâ *auctoritate* cui planè fidere possit circa omnia quæcumque maximè ipsius referunt, tanquam auctorati ipsius Dei. Hæc confusa suæ necessitatis conscientia ipsum præstat attentum ac docibilem tali auctorati, modò illa se ostendat credibilem. — Ex alterâ parte, ipsius ante oculos adstat Ecclesia quam, è communi patris, matris, omnium denique testimonio, facile discit omnibus præeminere et numero et virtute, et cuius simul totius vocem facile etiam audit, mediante parocho (V. *Tr. de verâ Relig.*, p. 107, et cfr Emin. Dechamps, VI<sup>e</sup> *Entret.*, versùs finem). Illa porro inde digna ipsi appetit cui tutò credit in multis. Hæc autem fides certa quidem est, sed tamen adhuc humana quoad suum motivum (1), quod nempe consistit in conditionibus humani testimonii implicitè perceptis, ideoque

---

(1) Cfr de Lugo : *De fide*, Disp. I, S. xii.

nondum ad omnia absolutè extenditur (V. *suprà*, p. 20 et 259); neque, si hic sisteret, planè responderet necessitati quam omnes, maximè autem Simplices experiuntur (cfr *suprà*, p. 20 n. 15, et p. 277). Oportet igitur ut inde transeamus ad fidem quam nuncupamus divinam, ad fidem nimirùm inconditionatam et universalem in omnia quæcumque dixerit Ecclesia, tanquam in ipsum testimonium Dei, cuius imprimis opus habemus. Et illa quidem eadem Ecclesia id reverà se daturam spondet, ad hoc enim sese infallibilem à Deo constitutam affirmat : quod certè jam nos ad eam sequendam inducit (1). — Ut autem illa spontanea apud nos propensio in motivum rationabiliter sufficiens vertatur, nunc bivium iter aperitur, et *methodus Simplicium*, quæ nullam moram exigit utpote in uno tantùm recti sensùs judicio consistens, differre incipit à *methodo doctorum*, quæ tempus quoddam et studium requirit. In methodo enim doctorum, quam in his Tractatibus principaliter secuti sumus, fit circuitus per *Scripturas*, quarum primum auctoritatem historicam Ecclesia auctoritate suâ *humanâ* nobis testata est (*Tr. de verâ Rel.*, Cap. de *Criticâ*). Exhinc auctoritate illâ Scripturarum historicâ inducti sumus ad auctoritatem eaurumdem doctrinalem (*Tr. de Eccl.*, Cap. præv.); ac demum ex auctoritate Scripturarum doctrinali ad auctoritatem ipsius Ecclesiæ *divinam* reducti sumus (Cap. de *Exist. Auctoritatis infallibilis*). — Simplices autem ex auctoritate *humanâ* Ecclesiæ ad ipsius auctoritatem *divinam* ducuntur *immediate*, rationabiliter tamen ac certò. Quemadmodum enim illa Ecclesiæ auctoritas humana sufficit etiam doctis ut certum habeant Ecclesiam accepisse *Scripturas* ab Apostolis factorum contemporaneis,

(1) Cfr Fénelon : *Lettre Ve sur la Relig.*, 3<sup>e</sup> p. : «..... Représentons-nous un paralytique... etc... »

ita sufficiet pariter hominibus quotquot sensatis ut certum habeant ipsam à Viro miracula faciente accepisse promissionem assistentiæ divinæ, quin opus sit illud legisse in Libris. — In hoc transitu ex auctoritate Ecclesiæ *humanâ* ad auctoritatem ejusdem divinam, absque Scripturis, jacet, ut ita dicam, magnum Fidei Simplicium arcam (1).

Atque hinc etiam patet magna systematis Protestantum inferioritas : quippe qui non possunt ita è testimonio Ecclesiæ humano disccere illius auctoritatem divinam, et in hoc uno dogmate habere omnium aliorum dogmatum certitudinem. Eorum siquidem Ecclesia, nedùm testetur se à Deo missam ad docendam infallibiliter religionem, è contrà semetipsam fallibilem declarat; unde certè jam aliquatenus ab eâ dissidere est; quippe quæ non necessitatibus nostris respondet sicut ab ecclesiâ verè à Deo institutâ expectandum jam nunc foret (2) : sed tantummodo, postquam historice testata est quarumdam Scripturarum originem apostolicam (3), omnes simplices æquè ac doctos ad illas remittit ut Religionem inde sibi totaliter efforment. Porro nemo non videt quanta sit illam inter et nostram agendirationem differentia. Ex utrâque nimirùm parte, homo simplex vel infans aliquid per suam rationem cum adjutorio gratiæ habet judicandum ; sed, apud Catholicos, unum tantummodo punctum ita per se judicandum habet, dum, apud Protestantes, tot sunt cuique per se dijudicanda quo sunt in Religione dogmata. Unde rectè Nicole

(1) In hoc sensu explicandus nobis videtur Möhler *Défense de la Symbolique*, versùs finem, p. 417 et ss.

(2) Cfr Fénelon, l. modò cit.

(3) Non iis assentimur theologis qui ne hoc quidem punctum apud Protestantes certum haberi posse volunt. Cavendum est quippe, sicuti jam pluriès observavimus, ne humanum ecclesiarum testimonium pro argumento semper dubio habeamus : quod nos in circulum vitiosum inducere : à quo Bossuet ipse, in suâ cum Claudio *Conferentiâ*, nonnisi per inconsequenterne quandam sensùs substitutionem sese expedire potuit. (V. in nimùm celebratam illam conferentiam *APPENDICEM XVIII*). — Cavendum pariter ne pueros nostros catholicos, dum à necessitate transeundi per dubium eximimus, ab obligatione etiam unum saltem efformandi judicium eximere aggrediamur : quod nempe *fideismus* esset.

(loco cit.) : « Il s'agit, d'un côté, de cinq cents questions, et, de l'autre, d'une seule... »

Hoc est igitur argumentum primarium, quod à pueris et simplicibus implicitè perceptum ipsos ad Religionem Christiano-catholicam, ubi primum illa proponitur, statim devincit (1). Quin et ipsos doctos itidem percellit, dummodò corde simplices et recti manserint aut, præ lassitudine et experientiâ vitae, rursùs facti sint; et Religioni vel addictos retinet vel errabundos reducit, multò sæpe efficaciùs quàm scientificæ historiæ vel metaphysicæ demonstrationes, in quibus nempe adeò facile quisquis hæret implicatus aut implicari timens (2). Et certè multi per hanc Simplicium viam, omni aliâ relictâ, feliciter rediere; nemo autem per alias vias, hâc spretâ, redit (3).

Huic tamen arguento Simplicium primario, quod infantem vel ab ipsis cunis, ut ita dicam, apprehendit, accedit aliud prioris confirmativum, quod cum puer, prout adolere incipit, crescit pariter et evolvitur; et hoc jam non in solâ Ecclesiæ catholicæ auctoritate sed et in doctrinâ et efficaciâ sanctæ ejusdem Ecclesie fundatur. Etenim

(1) Cfr S. August. : *Contra Epist. Manichæi*, n. 5; *De utilitate credendi*, n. 34.

(2) Hinc celeber historiae scriptor, Aug. Thierry jam sub fine vita aiebat ad P. Gratry : « Tenez ; je ne puis suivre vos démonstrations de philosophie religieuse... (et idem prorsùs dicendum de criticis ac eruditis inquisitionibus). Cela doit être bon pour d'autres, non pour moi... Je suis un rationaliste fatigué qui me soumets à l'autorité de l'Eglise. Je vois les faits : je vois par l'histoire la nécessité manifeste d'une autorité divine et visible pour le développement de la vie du genre humain. Or... tout ce qui est en dehors du Christianisme ne compte pas : de plus, tout ce qui est en dehors de l'Eglise catholique est sans autorité... Donc l'Eglise catholique est l'autorité que je cherche, et je m'y soumets. Je crois ce qu'elle m'enseigne : je reçois le Credo. » (cit. à P. Gratry : *Conn. de l'âme, Préf.*)

(3) Cfr J. de Maistre : *A une dame russe* (Mme Swetchine), *Lettre 80<sup>e</sup>*.

II<sup>o</sup> ex unâ parte, quisque rectus corde sentit necessitatem alicujus Religionis quæ se præbeat theoricè convenientem et practicè efficacem, — quæ nempe convenienter respondeat ad illa postulata mentis et desideria cordis cuivis homini quantumvis simpli, sub influxu præsertim gratiæ, haud inexperta (*V. Tr. de verâ Relig.*, p. 48, §1), — item, quæ, de facto, vires addat voluntati, cuius et ipse sentit debilitatem ad bonum (*ibid.* p. 29). — Ex alterâ autem parte, adstat Ecclesia catholicæ, quæ per doctrinam suam ad quæsita quæque apprimè satisfacit, prout in animam ascendunt, simulque virtutes verè mirabiles atque imprimis charitatem ad omne bonum promptam, tum in Sanctis suis, tum etiam passim in quibusque piis ac verè devotis, ante oculos indesinenter ponit, sicuti pluriès probavimus (*Tr. de verâ Relig.*, p. 2<sup>a</sup>, s. I, p. 112, 121 et ss., et rursùs *Tr. de Eccl.*, ubi de notâ *sanctitatis* in Ecclesiâ Catholico-românâ, p. 326.). Porro discit et ipse per experientiam, cuius gratia sensum intùs acuit, ea omnia aestimare et Deum inde recognoscere in Ecclesiâ suâ præsentem atque agentem : quod sanè Deus non faceret si illa sese ab Eo missam mentiretur et falsa in nomine Ejus nobis venditaret. — Ergo tutò ipsi credendum : « Date huic infantem...; haec est enim mater ejus. » (III Reg., III, 27) (1).

**Observatio :** — Ut autem omnium istorum argumentorum vis sentiatur, necessaria est, ut primo loco posuimus,

(1) Hoc certè argumentum vel ipsis barbaris proponi volebat S. Vincentius à Paulo : *Lettre à M. Nacquart, missionn. à Madagascar*; ap. Abelly, I. II, ch. I, s. ix; vel ap. D. Maynard : *S. Vincent de Paul...* t. III, p. 112; — et inde ap. Em. DD. Dechamps, op. cit., *Entretien VI<sup>e</sup>*, ubi V. totum illud argumentum evolutum. Nec aliter jam antea Ludov. Granatensis : *De ratione catechizandi apud Indos*, post suum *Catechismum*. — Huc cfr etiam Fénelon : *Lettre V<sup>e</sup> sur la rel.*, jam cit., 2<sup>me</sup> partie; — item et Pascal : *Pensées*; locis jam cit. : « Ceux qui croient sans avoir lu les Testaments... etc. »

dispositio quædam animi, quam vitia quidem obruunt, gratia vero innovat et acuit. — Unde hic in fine clarius repetere juvat quæ jam in Prolegomenis olim innuimus :

Veritates religiosæ, in præsenti hominum statu, non tam evidentiâ metaphysicâ aut physicâ pollent quâm evidentiâ morali, quæ nempe percipi non potest sine quâdam conscientiâ proprii cordis. Igitur ut fides in veritates illas concipi possit, duo requiruntur, scilicet *dispositio animæ* ad rem et *propositio rei* ad animam.

Porro, 1º *quoad animæ dispositionem* : — Anima est naturaliter *religiosa*, naturaliter *christiana*, naturaliter *catholica*; nempe quærerit Deum, quærerit Mediatorem, quærerit Auctoritatem.

Verùm, è lapsu originali, ut in decursu theologiæ demonstrabitur, facta est accidentaliter *protestantica*, accidentaliter *naturalista*, accidentaliter *impia*; quippe quæ repellit Auctoritatem, repellit Mediatorem, repellit Deum. E duabus illis dispositionibus, alterutra in unoquoque prævalet; sed, ope gratiæ, prior semper potest invalescere, et fidem sic reddere possibilem, ubi proponetur veritas. Gratia enim semper sufficiens pro necessitate præsenti offertur quibuslibet hominibus, licet jure magis proprio baptizatis.

2º *Quoad veritatum propositionem* : — In ordine quem vult Deus, unicuique ad rationis usum pervenienti semper proponitur Deus, proponitur Christus, proponitur Ecclesia. — Iis autem qui, causarum secundarum facto, extra hunc ordinem educantur, illæ veritates nullatenus aliquando proponuntur; — aut nonnisi ex parte et cum erroris admixtione; unde tunc anima, si cæteroquin inveniatur quoquomodo disposita, res ita propositas amplectetur, utpote aliquatenus sibi satisfacientes, sed forsitan sine quâdam cordis vacuitate et mentis formidine, usquedum ipsi vera affulgeat Ecclesia, verus Christus, verus Deus et jam plenè contenta exclamat ut ille Buddhista bonus ac

rectus ad Crucifixi explicationem : « Voilà le seul Bouddha que les hommes doivent adorer. » (Ap. D. Huc : *Voy. au Thibet*, t. II, ch. vii, p. 326. — Cfr S. Fr. de Sales : *Tr. de l'am. de Dieu*, l. II, ch. xv).

Explicit tandem illa ad theologiam Introductio quâ, toto hoc anno, deducti sumus è philosophorum scholis ad pedes Christi in Ecclesiâ suâ per Vicarium suum infallibiliter loquentis.

*Nunc ergo (Petre) omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino.* (Act., X, 33).